


YALE MEDICAL LIBRARY
HISTORICAL
LIBRARY

¶OPVSCVLVM DE BOMBYCE.

LVDOVICI LAZARELLI SEPTEMPEDANI BOMBYX AD AN. COLOTIVM HONESTAE INDOLIS PVERVM.

Commoda carminib9 castæ tutela Mineruæ
Est mihi materies fœcundo corpore Bōbyx
Arctū opus eloquio: nō arctū sensibus: & qđ
Tempore uix longo studiosa mente legatur
Diui hominis Christi cum mystica facta figuret.
Nunc mihi tu studia & mores refer optima Pallas
Quos illi inspiras/summi sapientia patris
Nate deus/quem mente colo/quem carmine canto.
Nempe palingenesis latet hic uelamine ducto:
Nec non coniugium uerbi: partusq; Deorum.
Vt rerum natura omnis tua fertur imago.
Omne tibi rerum nomen: facis omnia solus.
Omnia & in te unum referuntur imagine uera.
At tu sydereo certa puer indole cœlo
Illature caput: modo si crescentibus annis
Aspiret fortuna: libens hos accipe lusus
Coloti: lege sollicito mea carmina uisu:
Conde animis: ut quom matura increuerit ætas
Mittenturq; nuces: ad summi regna tonantis
Extollant sensus leuium hæc spectacula rerum.

Occiduo Zephyrus cùm perflans lenis ab orbe/
Depulerit gelidæ torpentia tædia brumæ:
Et florum uario diſtinxerit arua colore:
Tunc Bombycum aderit tempus:ſubmittere uirgo
Iam poteris blando tunc oua fouenda calori
Pectoris·ante tamen ſol occupet ipſe iuuencum
Occidat ante ſuis redimita canicula flammis·
At neq; ſignorum facies/nec ſydera cœli
Sunt tibi nota ſatis/certum mage ſuſcipe ſignum
Vt primum medio de cortice mittere gemmas
Oblita thyſbeo de ſanguine cæperit arbos
Cæperit & tunicis promittere pabula ruptis:
Tunc erit apta dies:ſed nec tibi tempora lunæ
Spernenda:illa quidem totius nuntia cœli
Temperat Hæc uẽtos/hæc tẽperat æquoris undas:
Imperium hæc humoris habet:ſunt cuncta ſub illa
Quæcunq; in terris uegetant:ergo illa ſequenda
Quom primum coitu ſeſe dimouerit:& quom
Cæperit abſentis conuerſa reſumere fratris Inspicito.
Lumina:conde ſinu numeroſi ſemina fætus·
Tertia confotis ſobolem lux ſuggeret ouis·
Adde ſuas frondes ut nati pabula carpant·
Contemplare tamen mores:pariterq; colorem·
Si niger eſt:epuliſq; uacant in fronde coacti
Optima ſpes fuerit:nec re fruſtabitur:at ſi

Pallentes/a fronde uagos/sparsosq; uidebis:
Proiice :ne impendas longum cassumq; laborem.
Sunt horum multæ species/sunt semina multa:
Quæ scribenda aliis post me dimitto:pœtas
Siquos tanget amor:uacui uel cura laboris.
Seres habentq; suas species(hinc serica fila
Dicuntur)retinetq; sacer sua semina Nilus:
Atq; aliæ gentes quarum sunt nomina mille.
Gaudet & ipsa suo populosa Hispania fætu:
Q uæ neruosa magis iam serica stamina mittit.
Hæc ego prætereo:non huc meus aspicit ardor.
¶Si boreas gelidum facit aera.claude fenestras:
Atq; focum iuxta tepidum cunabula gentis
Constitue exiguæ:maiori corpore postq̃
Increuit populus/trabibus compone salignis
Plena foraminibus castella:hinc ordine supra
Colloca arundineas cunabula commoda crates.
At formicarum cuneus procul absit auarus:
Q ui perimit paruos:pregnantia fugit & oua.
Spem subolis numerosæ:igitur dispone Cumini
Grana foraminibus: pallentis odore Cumini
Formicæ intereunt/ tectis fugiuntq; relictis.
Aemula palladiæ procul absit aranea dextre:
Palladium pecus exanimat quæ morsibus atris
Verre omnes muros/& inanes destrue telas.

Et cristata caue tua septa perambulet ales.
Omnia nam pedibus conculcat/& omnia rostro.
Claude aditus:occlude fores/occlude fenestras.
At tamen ante omnes longe mus noxius absit:
Nanq; uorat late/ sæuoq; exenterat ore:
Viscera dispergit/Quibus inclyta stamina surgunt:
Sæpe etiam solet intextas male rodere telas:
Spemq; adimit:magna hinc surgit iactura puellis
Propterea quidam lætalia toxica ponunt/
Non tamen id moneo ne tedia forte redundent
In caput ista tuum:sunt fraudum uincula mille.
Tende arcus/caueasq;/& casses tende latentes.
Verre domum confecta occlude foramina calce.
Omniaq; amotis auerte latibula lignis.
Sæpe etiam prodest quosdam prætendere fumos.
Quos inter:si scire uacat:miranda docebo.
Extrahe tu succos & scyllæ/uitis & albæ
Boracisq; bibax ubi tutia iuncta liquori est.
Fumus ab his surgẽs mures simul aggregat omnes
Quos capies perdesq; simul si perdere mens est.
Sed decet ad curas gentis redeamus alendæ.
Principio foliis opus est nutrire tenellis.
Dum tener est populus:folia at crescentibus illi:
Suggere dura magis/summas ne collige frondas
Arboris in summis quas cernis crescere ramis.

Iam ter pasce die: sed dum tibi paruula gens est
Simpliciter prosterne cibos: cum creuerit alte:
Accumula/& rari iaceant in cratibus altis.
Nanq; magis crescunt distentaq; corpora gaudent.
Non æstum aut frigus/uerum inter utrunq; puellæ
Concupite æstatē. pluuias & caumata frenet
Omnipotens. reddit nam lubrica pluribus imber
Pabula: cauma urit rabida rubigine frondes.
Virgo caue tale epulas apponere turbæ.
Dant uitium/morbosq; parant/& triste ueternum.
Si pluuiis madidas frondes perstringere oportet:
Sparge domo/donec non utilis areat humor.
Si breuis inciderit subitis e nubibus imber:
Mox solis feriat radius: rubigo uirentes
Inficit exoriens maculis pallentibus herbas.
Depopulansq; agros nascentia semina perdit.
Id metuens quondam delusa errore uetustas:
Vana ministrabat sacra rubigalia Romæ.
Heu fuge tam uanos sat credula fœmina ritus
Tu uerbi omnipotens diuini numen adora
Et tamen infectas refert secernere frondes:
Si calor excedat: si sicca excandeat æstas:
Proderit antiquo & fragranti fundere uino.
Non tibi det chios hoc/ non crete/non tibi Lesbos/
Nec fundenda super poscas tibi uina phalerna

Det patria antiquum & suauem Septempeda baccū
Quæ centum autumnis seruat dolia humida cellis
Syluarum nulla est quæ frondes germinet aptas:
Non pirus/aut malus/non populus herculis arbor
Non laurus Phœbi/Veneris non myrtus odora
Non reliquæ/quarū scripsisse haud nomina refert.
Nulla oritur passim campis quæ nutriat herba.
Sola arbos Thysbes mirandæ accommoda genti/
Naturæ assimilis/nam sicut stamina Bombyx
Ore uomit fundēs/eadem hæc quoq; stamina frōdes
Intus habent.contunde manu:tum/distrahe:cernes
Fila relaxari:res ergo simillima nutrit.
Quantum illos audire Iuuat dum pabula rodūt.
Quantum illos audire iuuat dum stamina ructant.
Frondentes inter siluas uelut obstrepit imber:
Vt solet exiguo decurrere murmure riuus:
Vt ue cadens uitrea resonat fons lucidus unda.
Sic crepitant:sonitu suadent mulcente soporem.
Tunc mihi contingat lecto dormire propinquo:
Dum tamen in columes uiuant:nec morbus odorē
Inquinet:& putri corrumpat corpora tabo.
Dum pascis/dum plena regens cunabula mutas/
Ne turbes illis somnum:turbata redibit
Nunq̄ prima quies:hinc multa surgere morbi
Labe solent:comedunt nimium:distentaq; pellis.

Lucet & abrupto saniem de uentre remittit.
Videris at siquos se non submittere somno
Et procul a requie fieri/quos lucida pellis
Turgidaq; ambierit/uel qui lactente liquore
Sparsere obiectas ad cōmoda pabula frondes
Et contracta nigrum monstrant imitantia uitrum
Ora: Nec insistunt foliis/passimq; uagantur.
Continuo uitium uigili compescere cura
Te decet incautum mala ne contagia uulgus
Contrahat: amotos scobis inter proiice sordes.
Inficiant aliis fluido ne pabula tabo.
Nulla medela illis/nullum est quod prosit & unguē
Cura/cauere/aliis ne labes noxia serpat.
Iam quater ut certum est seu somnum siue quietem
Accipiunt: quater & spoliis renouantur ademptis.
Signa tibi refero. primum liuentibus ora
Instar scutorum maculis obducta uidebis.
Tunc lucent/turgentq; simul: tum corpore toto
Immoti iam pene rigent: obstipaq; cœlo
Colla leuant/ueluti languentes Pallada clament
Tertia Phœbeis ubi lux est orta quadrigis:
Exuuias ponunt ueteres & pelle recenti
Luxuriant: surgitq; habilis uigor undiq; membris.
Atq; alacres rodunt uirides sua pabula frondes.
Quælibet ergo suum retinet mutatio nomen

Prima colore nigro nomen capit:altera ab albo.
Nam primum nigra est:tũ forma subalbida surgit.
Dat terna apparens in dorso littera nomen.
Vidi ego qui senis ferrent hæc grammata nodis
Vsq; imam pictos a summo uertice caudam
Alpha duplex: ω grãde duplex/geminumq; ferebãt
X græcum:Summi augustissima nomina Christi.
Est simplex ω grande prius:dehinc Alpha gemellũ:
ω mega tunc iterum distinguens terga uidetur.
X.geminum extremam precedit deniq; caudam.
Dat quarte esuries nomen:tunc pene uoraces
Vix unq̃ explentur:folia ipsa iniecta frequentes
Accumulata uorant:uix norunt parcere ramis.
Septima lux illos explet:saturosq; uidebis.
Ore gerunt stamen semper:mutatio quarta
Filum adimit:nec restituit/ni tota recedat
Esuries.tunc colla leuant.tunc fila remittunt
Electro similes:purgato & corpore lucent.
Rictibus explorant tensis extrema per ipsa
Tecta ubi contexant supremæ commoda sorti.
Tunc uites opus est/seu quernos ordine ramos: Obseruab.
Vel potius siccas disponere rite myricas.
Et bene dispositis purgatos ponere ramis.
Viscera nent:& nendo uomunt:texuntq; uomendo:
Se circum instantes oui sub imagine tectum.

Sunt qui albã:sunt qui croceã:sunt quiue rubentẽ:
Sub uiridem quidam contexunt stamine telam.
Sub uiridis color ante alios laudatur in illis.
Ante tamen croceo sunt æmula uiscera gummi
Succina populeis uelut est gemma aurea ramis.
Iamq; locis uariis diuersa exordia sumunt
Deniq; idem faciunt:operi datur una figura.
Sæpe duo unanimes tela clauduntur in una:
Fœmina masq; simul/çomunia tecta uolentes.
Visceribus sibi sponte domos sibi sponte sepulcra
Aedificant/factisq; ultro moriuntur in antris:
Vnde iterum surgant:surgentibus altera forma est
Papilionis habent speciem/sed corpore crasso:
Cornibus & binis hirsuto:imitantibus arcum.
Bina supercilia/atq; oculi sunt fronte gemelli.
Alati exiliunt pfacta foramina bustis.
Quæ modo condiderant:nõ ultra pabula curant:
Non ultra esuriunt.curæ est iis sola uoluptas
Gignendæ sobolis:ueluti mos ipse catellis
Sic coeunt:uinctiq; diu soluuntur:& oua
Millia parturiunt uenturæ semina prolis.
Quæ tandem ut pariant alium seruantur in annũ
Ante sed ascensum que sint si tempora poscas
Esse quaterdenos seruaui ab origine luces:
Ni partus cibus impediat/uel frigidus aer

Quem numerum nosces si sacra uolumina uoluis
Esse prophetarum/quom mistica facta gerebant.
Hoc Moses hoc Elias/hoc usus & Esdras:
Hoc numero ipse tabor nituit sub uertice Iesus.
Hunc quoq; post numerum non illi fercula curant.
Sed saturi mox ascendunt: & stamina ructant.
Hinc templa ornantur:hinc facta ueste sacerdos
Quotidie ante aras offert sua sacra tonanti.
Hinc Reges/cunctiq; Duces:hinc nobilis omnis
Turba puellarum texto decorantur amictu.
Splendidus ornatu uarius datur usus in illis.
Omirandum animal:o nunq̄ cognita uulgo
Signa renascentis uitæ:quom in prima redibit
Pabula:defunctæ metuet nec spicula mortis
Verus homo:cum mente tabor splendescere corpus
Auita ab sorptum cumulata luce uidebit.
Surgite terrigenæ bombycum exempla sequuti.
Sæcla supergressi pereuntis quatuor orbis.
Intrate æterni radiantia mænia Regni.
Induite en quæ uos portent super æhtera pennas:
Primaq; discēdat species.ne corpora serpant.
Sumat auis pennas cui mos est serpere Bombyx
Linquite corporeos sensus mens candida regnet.
Serpit humi sensus:sed mens super æthera tranat.
Sancta Palingenesis uos complectatur:& orti

Rursus: homo cælum penitus penetrate relicta
Anguipedes per humum sinite ob reptare Gygātes.
Vos Ganimedeos ad cælum regia pennis
Tollat auis pueros: ubi cum Ioue fercula iuncti
Manna sacrum panem superū/fontesq; perennes
Sufficite: æternæ uiuacia semina uitæ
Gignite diuinā repetito semine prolem
Quo pacto id fieri possit mox forte docebo.
Hic gradus æthereo primus statuatur Olympo.

FINIS.


YALE MEDICAL LIBRARY
HISTORICAL
LIBRARY

66 LAZARELLI, LUDOVICUS. OPUSCULUM DE BOMBYCE. (Rome, Eucharius Silver, 1498). 4to. Rom. 6 ll. Vellum, gilt. £37.10.
Not in Hain. Cop. R. 3522. BM IV, 125. Polain 2447.
Klebs, Inc. Med. et Scient. 590, 1. Census, L 93 (one copy).

Weil, Cat. 13, Apr. 1949. Hunt(i)diby.

811

